



22
SPECIMEN IVRIS SAXONICI
DE

1767, 31.
PRAESCRPTIONE IVRIS
BONA SVB PACTO
DE RETROVENDENDO ALIENATA
RELVENDI,
ad Const. Sax. Elect. I. P. II.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E

Mr. v.
AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT
PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE,
ANTIQUITATVM IVRIS PROFESSORE PVBLICO DESIGNATO,
SOCIETATIS LATINAE IENENSIS COLLEGA
HONORARIO

DIE IX. SEPTEMBRIS CIOIOCCCLXVII.

H. L. Q. C.

DEFENDET
SALOMON FRIDERICVS HAVSCHILD
SONNENWALDA LVSTATVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA IO. FRID. LANGENHEMIL.



EXECIMEN IVRIS SAXONICAE
DE
PRAESCRPTIONE IVRIS
BONA SUB PACTO
DE RETROVENDENDO ALIENATA
RELVENDI
M. COE. SA. V. 1. P. II.

ILLUSTRISSIMO SIGNO
AVGUSTO FRIDERICO SCHOTTE
P. R. A. E. S. I. D. E.
AVGUSTO FRIDERICO SCHOTTE
P. R. A. E. S. I. D. E.

SALOMON THEODORUS HANSCHEIDT
P. R. A. E. S. I. D. E.
P. R. A. E. S. I. D. E.



115.6





§. I.

Ratio instituti redditur.

Inter eas leges, quae dubiis interpretationibus obnoxiae esse videntur, referenda est *Constitutio Elect. Sax. I. P. II.* quae disponit, ut venditor, qui rem sub lege re-trouenditionis in aliquem transtulit, ab exercitio iuris hanc rem, reddito eodem pretio, reluendi, nullius plane temporis ac ne centum quidem aut plurium annorum praescriptione excludatur, sed retroemendi facultas salva semper ipsi maneat. Quod fancitum, quoniam aliqua difficultate laborare, et ni recte intelligatur, ab iuris communis analogia abhorrrere videtur, idoneum scribendi argumentum praebere arbitratus sum. Quapropter illud exponere ac breuiter illustrare nunc constitui. Cuius quidem tractationis hic a me ordo seruabitur, ut, postquam de fundamento decidendi hanc quaestionem exposuero, ipsam controuersiam ex iuris communis praeceptis decidam et de-




monstrem, ipso iure civili facultatem retroemendi nulli praescriptioni obnoxiam esse; quam argumentationem deinceps ad legem Saxoniam adcommodabo, ut adpareat, eam iuris communis rationibus non plane repugnare.

§. II.

Fundamentum decidendi controuersiam de praescriptione pacti de retrouendendo ponitur.


Cum venduntur bona, saepe fit, ut venditor cupiditate ea aliquando repetendi ductus, pacto adiecto caueat, ut ipsi liceat ea retroemere, cuius pacti ea est vis et natura, ut possit cogere emptorem ad retrouendum, si idem, quod acceperat in prima venditione, pretium ipsi offerat et soluat. Hoc ius autem rem venditam retroemendi, quaeritur, vtrum praescriptioni obnoxium sit, ita, ut venditor, si intra longum vel longissimum tempus haud exercuerit, illud amittat, an nullius plane temporis lapsu extinguatur? Sunt vero omnium interpretum, ^{a)} qui hanc quaestionem attigerunt, tres classes constituendae. Alii enim hac in causa praescriptioni locum omnino tribuunt, alii eam penitus exulare volunt, alii mediam viam tenentes hoc ius partim praescriptione elidi, partim perpetuum esse et nunquam amitti pro diuersis modis paciscendi, defendunt. Quarum opinionum etsi quaelibet suis defendatur argumentis, nulla tamen expressis legum sanctionibus munita est. Vna enim, quae super hoc pacto extat, *lex 2. C. de pact. int. emt. et vend. de iure quidem venditoris*

a) Praeter generatius scriptores, IOH. FRID. KAYSERS in *Diff. de praescriptione pacti de retrouendendo*, Giesae CIOIOCCXXIV, nec non WILH. FERD. BACHOV L. E. AB ECHT in *Tr. de Iustitia praescriptionis circa bona sub pacto retrouentionis alienata cum not. SAM. LVCIJ*, Francof. CIOIOCCXXXI, 4. hanc controuersiam data opera tractarunt: attamen cum horum libelli mihi non sint ad manus, ipsorum sententiam exponere non licet.



ris ex hoc pacto quaesito emptorem ad retrouendendum cogendi statuit, at eiusdem praescriptionem ne verbo quidem attingit. Quare nihil superest, nisi vt partim ex iuris praescribendi analogia, partim ex ipsius pacti natura tota lis componatur. Primum igitur videamus, quid praescriptionis indoles requirat, deinde, quomodo ea cum pacto de retrouendendo conueniat, inquiramus. Omnis nimirum praescriptio cum non solum eum in finem inuenta sit, vt rerum dominia ac iura aliquando sint certa, sed inprimis etiam negligentiae poenam contineat, iis irrogandam, qui, cum possent nullo prohibiti impedimento ius suum persequi, cuius exercendi initium a certo tempore currebat, id sua tantum culpa praetermiserunt; facile patet, praescriptioni nunquam locum esse, nisi aliqua eius, cui ius competeat, negligentia concurrat, cuius reus sit, si adparet, ei arbitrium agendi certo tempore definitum fuisse. Haec si ad nostram quaestionem adplicentur, mox intelligitur, quid de ea sentiendum sit. Est namque pacti de retrouendendo non eadem semper vis ac potestas, nec eodem per omnia modo venditoris arbitrium illud restringit. Plerumque quidem illud ita concipi solet, vt nulla plane negligentia, quod ad ius reluendi attinet, in venditorem vnquam cadere posse videatur, quod sit, dum vel nullum tempus determinatur, a quo ius reluendi incipere aut vbi finiri debeat, vel etiam vt venditori, quocumque tempore idem pretium obtulerit, rem redimere liceat, expressis verbis statuitur. At interdum tamen certus terminus ponitur, vsque ad quem hoc retroemendi ius exercere liceat, nec vltra, quo praeterlapso venditor negligentiae suae poenam sentiat necesse est. Quandoque et tempus adiicitur, a quo demum venditor hac facultate vti possit, quod simul terminum constituit, a quo eius negligentia currere incipiat. Cum igitur venditor in iure retroemendi ex-






ercendo pro diuersa eius constitutione modo negligentiam incurrere possit, si temporis definiti rationem nullam habuerit, modo huius culpa nunquam reus fiat, nullo termino expresso, sed facultatem reluendi quocumque tempore exercere velit, liberae eius voluntati relicto: opus omnino est, vt in regulis praescriptionis ad pactum de retrouendendo adplicandis diuersi huius paciscendi modi inprimis rationem habeamus, ita vt ius venditoris retroemendi neque totum ac semper praescriptoni subiiciamus, neque ab omni praescriptione liberemus, sed prout negligentia ipsi imputari possit, vel minus, rem quoque varie decidamus. Ergo tres paciscendi conditiones hic separandae sunt. Aut enim nullum tempus definitur venditori, emtore potius promittente, se rem, *quandocumque* venditor idem pretium obtulerit, redditurum esse: aut conceditur venditori ius *intra certum tantum tempus* rem eodem pretio redimendi: aut statuitur, vt venditori *certo demum tempore elapso* retroemendi facultas competat. Singuli hi modi an et qua ratione praescriptionem admittant, breuiter nunc exponamus.

§. III.

An praescriptio locum habeat conditione adiecta, quandocumque venditor idem pretium obtulerit?

Quod ad primum paciscendi modum attinet, vbi venditor ius retroemendi sibi ita reseruauit, vt ipsi liceat quocumque tempore illud exercere, vel saltem nullum tempus, ad quod hoc ius restringatur, in conuentione expressum fuerit, magna est inter doctores disceptatio, vtrum praescriptione possit amitti, an nullo plane tempore pereat? Sunt enim plerique, qui statuunt, nihilofecius tamen venditoris ius aliquando desinere, et huic praescriptioni terminum triginta annorum ponunt, inter quos GREGORIVM THOLO-

SANVM



SANVM ^{a)} COSTALIVM ^{b)} BACHOVIVM ^{c)}, PEREZIVM ^{d)}, HVBERVM ^{e)}, THOMASIVM ^{f)}, aliosque referas. Alii vero et hi quidem rectius meo iudicio, nullo plane tempore adeoque ne centum quidem, nedum triginta annis venditorem ita pacifcentem facultatem retro emendi amittere defendunt, quam sententiam praestantissimis Iureconsultis, inque his ZOANETTO ^{g)}, HILLIGERRO ^{h)}, WISSENBACHIO ⁱ⁾, STRYCKIO ^{k)}, LEYSE-RO ^{l)}, WERNHERO ^{m)}, placuisse laetor. Nonnulli tamen vt ZOANETTUS, STRYCKIVS ac BERGERVS ⁿ⁾ hanc postremam sententiam ita explicant, vt affirmant, praescriptionem hic non cessare, nisi formula, vt venditori, *quandocunque* placuerit, ius ex pacto quaesitum exercere liceat, expresse adiecta, quodsi vero nulla plane conditio adscripta nec vlla temporis mentio facta fuerit, praescriptioni omnino locum esse. Harum vero opinionum rationes omnes colligere atque diiudicare, mei iam non est, nec patitur libelli breuitas. Dicam tantum de primario singularum fun-

a) In *Syntagn. Iur. Vniu. lib. XL. c. V. n. 28.*

b) In *Aduersar. ad Pand. l. 19. qui pot. in pign. v. hyp. habeant.*

c) Ad *Treutler. Vol. I. disp. XXVIII. tb. 10. lit. D.*

d) In *Pract. in Cod. tit. de pact. int. emt. et vend. n. 27.*

e) In *Pract. ad Pand. tit. de rescind. vendit. §. 19.*

f) In *Sebol. ad Huberum l. c.*

g) *Tr. de emtione venditione sub pacto retrovenditionis.*

h) In *Donello enucl. Vol. I. lib. V. c. 32.*

i) In *Comment. ad Cod. tit. de pact. int. emt. et vend.*

k) In *Vsu mod. Pand. tit. de contrahend. emt. §. 42 = 47.*

l) In *Meditar. ad Pand. Vol. III. Spec. CXCI. §. 7. 8.*

m) In *select. obseru. forens. P. I. Obs. 313.*

n) In *Oecon. Iur. lib. III. tit. V. §. 8. n. 12. et in Supplem. ad Electa Discept. forens. P. I. tit. XL. n. 3. p. 416.*



fundamento, vt, quae sententia praestet, intelligatur. Qui
 ius ex pacto de retrouendendo nullo tempore adiecto or-
 tum praescriptioni obnoxium esse, arbitrantur, vrgent in-
 primis constitutionem HONORII et THEODOSII in l.3.
Cod. de praescript. XXX vel XL annorum, quae omnes
 actiones personales tringinta annorum lapsu extingui iubet,
 quam ad ius venditoris ex pacto de retrouendendo quaesi-
 tum ideo trahunt, quod etiam hoc personale sit. Specio-
 sum est hoc argumentum, sed si ad rationes supra proposi-
 tas diiudicetur, infirmum prorsus et a nostra causa alienum
 adparet. Non enim video, quae negligentia pacto sic, vt
 diximus, proposito, in venditorem cadere possit, quocun-
 que demum tempore ius suum exerceat, cum nullum plane
 tempus definitum sit, a quo ius eius agendi contra emto-
 rem currere incipiat, sed omnia illius arbitrio relicta fue-
 rint. Deinde consentio, omnibus actionibus personalibus
 iure ordinario triginta annis praescribi: at hunc annorum
 numerum prius computari posse, quam ab eo tempore,
 quo actio nata fuit, nego ac pernego, ob expressa commemo-
 ratae constitutionis verba: *Quae ergo antea non motae
 sunt actiones, triginta annorum ingi silentio, ex quo iure
 competere coeperunt, viuendi vltorius non habeant faculta-
 tem.* Nec potest aliter, cum non prius aliquis negligens
 esse videatur, quam si eo, quo licebat tempore, ius suum
 non persecutus fuerit. Hoc vero ad nostram causam vel
 maxime pertinet, cum venditori, qui sub retrouenditionis
 lege rem alienauit, non prius actio aduersus emtorem de-
 cur, quam pretio eodem soluto vel oblato, natura emtio-
 nis venditionis sic exigente, vt neuter contrahentium ad-
 uersus alterum experiri valeat, nisi ipse id, quod debebat,
 antea praestiterit. Cum igitur venditoris actio ex hoc
 pacto nascatur demum pretio soluto vel oblato, haec vero
 offe-



offerendi facultas illius arbitrio plane relicta, nec tempore adiecto restricta sit, nulli neque triginta, neque plurimum annorum praescriptioni locum hic esse facile intelligitur. At si forte tamen contingat, ut venditor contra emptorem, qui idem pretium sibi oblatum accipere noluit, vel pretio iam soluto rem restituere detrectat, actione ex pacto oriunda experiri, triginta annos ab oblationis vel solutionis momento computatos moretur, omne, quod habebat, retroemendi ius extinctum censeferi debet, propterea quod eius actio iam nata esset, omnium vero actionum praescriptio currere incipiat, simul atque institui potuerunt. Hae rationes mihi certissime persuadent, ius venditoris ex pacto de retrovendendo quaesitum, adiecta conditione, ut ipsi liceat rem recipere, quodcumque idem pretium obtulerit, nullius plane temporis et ne centum quidem annorum lapsu perire, sed ab omni potius praescriptione etiam iure Romano liberari. Quam sententiam quoque camerae Imperii probari forenses scriptores passim testantur, et ab Illustri Ordine ICtorum Wittenbergensi defensam esse, WERNHERVS I. C. commemoravit. Ut autem cum nonnullis distinguatur, utrum pactum hoc initum fuerit indefinite et sine ulla temporis mentione, an adcurate expressum fuerit, ut quodcumque retroemendi ius venditori liceat exercere, et in hac postrema specie sola, non etiam in priori praescriptionem cessare affirmetur, ego sane nullam video rationem. Sufficit nullam tribui posse venditori negligentiam, ut eius ius ab omni praescriptione liberum esse adpareat. Quis vero negligentem in iure suo persequendo eum dixerit, cui nullum tempus, a quo illud primum oriatur, definitum fuit?



§. IV.

*Quid obtineat lege adiecta, si venditor intra certum tempus
idem pretium obtulerit?*

Longe aliter res diiudicanda est, si expresse con-
uenerit inter partes, vt tantum intra certum tempus, v.
c. intra tres annos, rem venditam retroemendi ius ven-
ditor habeat. Quo quidem termino praeterlapso nullum
est dubium, quin ius venditoris omne simul perierit.
Nam cum ante hoc tempus dominium emtoris ob ex-
pressa conuentionis verba tantum temporarium esset, eo
praeterito statim fit perpetuum, vi verborum pactorum
penitus cessante, nullumque amplius superest venditori
ius actione ex pacto de retrouendendo contra emtorem
experiundi, quippe quod ad certum tempus restrictum
sua mora amisit. Certe qui intra certum tempus ad ali-
quid se obligauit, vtique post illud teneri noluit. At-
que quod ad certum tempus permissum erat, postea pro-
hibitum esse censetur. Noli tamen credere, hanc facul-
tatem sic praescriptione tolli. Praescriptionis enim tem-
pus legibus, non pactis expressis contrahentium, defini-
tur. Quapropter dicendum potius est, ius retroemendi
ad certum tempus pacto restrictum post hunc terminum
ipsa partium voluntate extinctum esse. Hanc regulam
vero, vt praeterlapso tempore in conuentione expresso
venditor nullum amplius habeat ius, non adeo genera-
lem esse arbitror, a qua nunquam recedere liceat, sed
saluum illud postea esse puto, si adpareat, venditorem
non negligentia id praetermississe, sed iusto impedimento,
quod ei tribui nequeat, prohibitum prius agere non po-
tuisse v. c. si emtor intra definitum tempus copiam sui
non



non fecerit. Quam sententiam CARPZOVIUS ^{a)} et STRYCKIUS l. c. recte defendunt.

§. V.


Quid iuris sit conditione adiecta, ut demum post certum tempus retroemeri possit?

Magis dubia est alia quaestio: vtrum praescriptioni locus detur ex iuris civilis analogia, si emptio venditio sub lege retrovenditionis ita facta sit, ut post certum demum tempus, nec prius, ius venditoris reluendi incipiat? Alii negant, alii affirmant. Obscure suam LEYSERVS l. c. proposuit sententiam, quae tamen, quantum animaduerti, eo redire videtur, ut statuatur, hac conditione adiecta ius venditoris, si termino elapso non statim illud exerceat, statim etiam amitti. Attamen cum hoc tempus non ideo adiciatur, ut eo venditor necessario, nec ultra rem reluat, sed potius, ne ante illud iure suo ex pacto retrovenditionis quaesito utatur, adparet profecto, huius temporis lapsu ius venditoris simul perire non posse, etsi largiar, illud terminum constituere, a quo negligentia eius currere incipiat. Nos iam non moramur aliorum sententias, quid nobis videatur, potius exposituri. Quod non difficile erit negotium, modo ad regulam de diiudicando praescriptionis cursu supra traditam recurramus. Diximus autem, et, ni fallor, probauimus, praescriptionem a negligentia demum eius, cui ius competit, inchoari, negligentem vero esse vnumquemque ab eo tempore, quod tanquam terminus definitum fuit, a quo eius ius incipiat et exerceri possit. Itaque cum in hac retrovendendi conditione, de qua iam

B 2

sermo

^{a)} In *Defin. forens. P. II. Const. I. Def. 8.*



sermo est, terminus certus statutus sit, a quo venditoris ius idem pretium offerendi initium capere debeat, facile intelligitur, tempore, ad quod retrouenditio facta erat, praeterlapso, statim negligentem esse venditorem, ita, vt ab hoc momento ipsi currat praescriptio. Sed qualis? Nempe sola tricennalis, quae omnibus definita est iuribus personalibus. Ergo Titius, qui Caio vendidit fundum ad tres annos ita, vt his confectis ille a Titio retroemì possit, si hoc spatio elapso intra triginta annos iure suo non vsus sit, postea praescriptione omne ius amissum sentiet.

§. VI.

Explicatio Constitutionis Saxonicae.

Sed haec sufficiant de iuris ciuilibus communibus regulis, a quibus an Saxonica lex, cuius interpretandae causa ea praemisimus, diuortium fecerit, nunc videamus. Sic vero diuus AVGVSTVS in CONST. ELECT. I. P. II. ait: *Es seynd in dieser Fragen bey den Rechts Lehrern zweyerley Meynungen, denn etliche halten dafür, das die Verjährung Statt haben solle; die andern aber schliessen darauf, das keine Praescription darinnen zulässiglich sey. Diweil dann Unsere Juristen Facultäten und Schöppen-Stühle derenzbalben auch ungleich gesprochen, so haben Wir ihnen durch Unsere verordneten Rätbe aufferlegen und sie mit einander vergleichen lassen, nach dieser Opinion, so an dem Kayserlichen-Kammer-Gericht und Unsern Ober-Hoff-Gericht zum Theil gehalten, zu erkennen, nemlichen: das in beyden Fällen des Pfandes und Wiederkaufs halben einige Verjährung oder Praescription durchaus, auch hundert und mehr jährige, nicht statt habe, sondern zu jederzeit ein Verpfand oder wiederkäufflich verkauft Gutb Krafft und*



und Inhalts des aufgerichteten erwiesenen Contract's gelöset oder wieder erkaufft werden möge. Adparet autem, hanc legem AVGVSTI, quae nullo tempore, ne centum quidem aut pluribus annis, praescriptionem iuris venditori ex pacto de retrouendendo quaesiti admittit, non singulare per omnia ius fouere, vt vulgo aiunt, sed cum veteri iuris ciuilibus regula, quae legitimis atque communibus praescriptionum rationibus nixa idem statuit, vt antea probauimus, maximam partem conuenire. Nec aliud fuit legislatoris consilium, nisi vt lis iurisperitorum de praescriptione pacti de retrouendendo ex iuris ciuilibus praecipis componeretur, et certa demum ac vera in Saxoniae foris stabiliretur sententia: non vt noua lex conderetur; quemadmodum partim ex ipsius Constitutionis verbis, partim ex *Consultationibus Constit. Saxonicarum*^{a)}, vbi ex solius iuris ciuilibus analogia quaestio haec eadem, qua in ipsa Constitutione, ratione deciditur, et ad vsum fori Germaniae communis prouocatur, facillime intelligitur. Attamen cum Constitutionis verba ita sint concepta, vt praescriptioni in pacto de retrouendendo locum esse in vniuersum negent, nec de singulis ac diuersis huius pacti modis, de quibus supra exposuimus, quid statuendum, definiant: quaeritur, vtrum ea in omni omnino retrouendendi conditione vim habeant, an ad quasdam tantum species pertineant? Prius, quamuis plerisque, inque his *SCHAVMBVRGIO*^{b)}, placere videatur, regulis interpretationis aduersatur, siquidem non solum ius Romanum, ad cuius rationes legislator hanc legem adcommoauit, non nisi di-

B 3

scrimine,


a) *Consultationum Constit. Saxon. P. I. Quaest. I.*

b) *in der Einleit. zum Sachs. Rechte. P. III. Sect. II. Exerc. V. §. 10.*





crimine sic, vt diximus, proposito, ius retrouendendi a praescriptione liberat, sed ipsi etiam auctores *Consulationum Constit. Saxonie*. quae, quia legitimi Constitutionum a diuo AVGVSTO promulgatarum fontes sunt, optimam eas interpretandi viam monstrant, loco commemorato hanc sententiam non de omnibus retrouendendi conditionibus, sed de vna tantum huius pacti specie intelligi volunt. Hi enim postquam variis rationibus in vniuersum defenderant, ius ex hoc pacto ortum nullo plane temporis lapsu amitti, paullo magis suam opinionem restringunt, dum addunt: *Für das andere lassen Wir bey dieser Opinion diese Distinction zu, seindt auch des durch H. D. Johann Schneidewein seligen, da er zu Speyer gewesen, und sich dieser von uns zu erkundigen gebetben, also berichtet, das im Kayser. Cammer Gerichte durch dergestalt distinguiert und Unterschied gehalten werde: Nemlich: wenn der Wiederkauf durch gemeine Woerter, quandocunque, semper, omni tempore, perpetuo, und dergleichen, vorbehalten, das dann der Käufer und seine Erben sich mit keiner Praescription zu behelffen: Wenn aber der Wiederkauff simpliciter oder ohne solche, oder dergleichen gemeine Wörter bedinget ist (welches doch gar selten geschiehet) das dann 30. 40. Jahr, et de iure Saxonico 30. Jahr, Jahr und Tag, und vielmehr 100. Jahr die Praescription einführen.* Ex his dictis quis non videat, legis Saxonicae rationem verbis esse angustiore? Si me igitur audis, neque pacti de retrouendendo ad certum tempus initi, neque iuris retrouendendi a certo tempore, neque conditionis retrouendendi absque vlla temporis mentione adiectae praescriptio hac lege impeditur, sed illud solum pactum, in qua clausula, vt *quandocunque* venditori rem retro emere liceat, expressa fuit, ab omni praescriptione liberum pronuntiat,



nuntiatur, quamvis hanc dispositionem ad immemorabile tempus, quod omnia iura non potest propter suam naturam non tollere, trahere nollem. Nihil igitur inest singulare, quod cum iuris communis analogia non conveniat, nisi hoc, quod Romanorum iure pactum absque vlla temporis mentione initum ei, cui clausula *quando-cumque* accessit, plane aequiparetur, hic vero aliquod inter vtrumque paciscendi modum discrimen observatum fuerit, ita, vt hoc, non illud plane indefinite conceptum, praescriptionem respuat.

§. VII.

Quid, si bona retrovenditionis lege alienata orto concursu creditorum sub hasta vendantur?

Quamvis autem adeo validum sit ius retrovendendi, vt nulla praescriptione exstinguatur, tamen communi fori vsu illud, quaecumque adiecta sit condicio, tum cessat, cum bona emtoris publica et necessaria sub hasta venditione distrahuntur, subsecuta maxime adiudicatione, momento CARPZOVIO. ^{a)} Quapropter iure Saxonico Electorali nouissimo in *Mand. de Decisionibus nouissimis a CIOIOCCCLXVI.* edito, *Decis. XXVII.* cautum fuit, vt venditor, orto in bonis emtoris, cui rem retrovenditionis lege vendiderat, concursu creditorum, iure quidem redemptionis vti possit, ita tamen, vt intra spatium Saxonicum a tempore factae denuntiationis animum declarat, idque intra semestre spatium soluendo pretium exerceat, etiamsi terminus retrovenditioni definitus nondum elapsus fuerit. Quodsi non fecerit, eum non amplius audire, sed potius praedium hastae publicae subiicere lex iubet.

^{a)} l. 6. Def. 25.



ULB Halle
003 719 014

3



1078







7767, 31.

VRIS SAXONICI
DE

TIONE IVRIS
VB PACTO

DENDO ALIENATA
VENDI,
ix. Elect. I. P. II.

CTORVM ORDINIS
TORITATE
ESIDE

DERICO SCHOTT

VRIS VTRIVSQVE DOCTORE,
PROFESSORE PVBLICO DESIGNATO,
TINAE IENENSIS COLLEGA
ONORARIO

EMBRIS CIOIOCCCLXVII.
L. Q. C.

ENDET
ERICVS HAVSCHILD

WALDA LVSATVS.

PSIAE
O. FRID. LANGENHEMIL.

